

*Quando c  
De Communancia Armaturarum facta.*

## CAP. CLV.

Eodem anno, dominus Talamacius, Faventinorum potestas, fecit et ordinavit communiam Armaturarum, in mense februarii, apud castri Sancti Petri, cum ibi in rededificatione essemus. In abscondito sacramenta fieri fecit omnibus, ut civitas in bono statu permaneret et cum magnatibus officia civitatis sortiri. *[a]* Omnibus dictam communiam rogantibus, ut ab hac inquietatione desisterent, quae nullius usa consilio, sed in sua incredulitate permansit. Ob hoc autem dicta communia magna est passa jacturam.

*(Praelium inter [b] Lombardos apud Zibellum, in quo vicerunt Cremonenses.)*

## CAP. CLVI.

In nomine Domini ccxviii, post mille [c], mense iunii, fuit praedium magnum inter Lombardos apud Zibellum [d], et ibi fuerunt quatuor carrocia, et obtinuerunt Cremonenses et socii [e] (101).

*Quando Petrus Traversaria Ravennam cepit.*

## CAP. CLVII.

Sub anno Domini mcccxviii, die secundo mensis octobris, dominus Petrus de Traversaria, adjutorio suorum amicorum et maxime Mainardorum, Ravennam cepit, captis atque expulsis amicis domini Ubertini Guidonis de Duodeo de civitate Rayenna. In mense autem augusti, dominus Petrus Montemveclum [f] castrum Rochors [g] [A], in quo comes Rugerius Guerra partem habebat, emit, ut comitatum comitis Guidonis Guerrae, qui eum in hac parte laedebat, et circumstantia posset opprimere loca. Quo quidem non comiti grato, sed venenoso, ei guerram inferendam publice indixit hostiliter.

[a] *civitatis sortiri.* Sic lego cum C. V.; legi potest etiam: *civitatis sortiti.* — [b] *Praelium inter etc.* Titulus deerat. — [c] *In nomine Domini ccxviii post mille,* C. M. In C. V., Anno Domini mcccxviii. — [d] *apud Zibellum.* Sic Codd.; vulgo *Gibellu.* — [e] *et socii.* Sic Codd.; sed supple: *victoriā.* — [f] *Montemveclum;* idest, *Montevecchio.* — [g] *castrum Rochors,* C. M.; *castrum Roncors,* C. V. Iuxta Cl. Mitt., verti facile posset *Richrd.* Sed ego crederem legendum, *castrum Rocchorum;* nam in duabus chartis Archiv. Capitular. lego inter testes nominatum, sub ann. 1373 et 1374, *Nicolaum filium Baldutii de villa Rocchorum.*

[A] *Montisvecli Rocchorum* meminit charta ann. 1318, Caps. Q, n. 9130, in Archiv. Archiep. Rav. existens.